


Friedrich Hans Gloxin

Friderici Johannis Gloxini I.U.D. & Canonici Lubecensis Ad ... Dn. Johannem Adolphum Kielmannum De Kielmanseck Hereditarium In Satrupholm Et Obdorf, Celeberrimi Collegii Canoniorum, Quod Est Hamburgi, Praepositum Longe Celeberrimum. Serenissimi Item Cimbrorum Ducis Regnanitis Consiliarium Intimum, Tum Aulae Cancellarium, Et Cameralium Rationum Nec Non Sanctorum Consiliorum Praesidem Splendissimum Et Praefectum In Reinbec Trittou Et Moorkirchen. Dominum Ac Patronum Suum Magnum Alloquium Encomiasticum

[S.l.], 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766343324>

Druck Freier  Zugang







UNIA
DEN

1842 21 Kuffen


Ac-12^{1-12.}
1-51 <R>









116







FRIDERICI JOHANNIS GLOXINI
J. U. D. & CANONICI LUBECENSIS

A D

*ILLUSTREM ET EXCELLENTISSIMUM
DOMINUM,*

**DN. JOHANNEM
ADOLPHUM KIELMANNUM
DE KIELMANSECK**

HEREDITARIUM IN SATRUPHOLM
ET OBDORF, CELEBERRIMI COLLEGII CA-
NONICORUM, QUOD EST HAMBUR-
GI, PRÆPOSITUM LONGE
CELEBERRIMUM.

SERENISSIMI ITEM *CIMBRORUM DUCIS* RE-
GNANTIS CONSILIARIUM INTIMUM, TUM
AULÆ CANCELLARIUM, ET CAMERALIUM RATIO-
NUM NEC NON SANCTIORUM CONSILIORUM
PRÆSIDEM SPLENDIDISSIMUM ET PRÆFE-
CTUM IN REINBEC TRITTOU ET
MOORKIRCHEN.


*DOMINUM AC PATRONUM SUUM
MAGNUM*

ALLOQUIUM
ENCOMIASTICUM.

ANNO M DC LXV.

Dum, PATRIÆ PRÆLUSTRE JUBAR, molimine lingvæ
Mens abit in laudes obsequiosa Tuas:
Nescio, quî nostras lassent præconia Musas,
Et tremat aspectum pallida Suada Tuum,
Scilicet ut cunctas vincit Tua laurea laudes
Fas erat & scribi nobiliore stylo.

Anno M DC LXXV.



EXCELLENTISSIME DOMINE PRÆSES

DOMINE & PATRONE REVERENTER
SUSPICIENDE.



Ernimus pictores & statuarios, consummata pulchritudinis speciem aliquam posituros, quicquid arte aut elegantia præstans oculis notaverint uspiam, aut ipsi animo inventionum ferace concipere valuerint, in imaginem aut statuam suam sollicita operâ conferre. Sumunt hoc prudenter artifices illi ab ipso naturæ hujus universi conditore. Qui, cum paternâ providentiâ, promotâ hominum plurimorum commoda cupit, unum aliquem in mundum quandoque dispensat, quem destinatis suis omnium optimè perficiendis, parem cupit esse atq; idoneum. Quem verò dum parat atq; effingit, nihil de cunctis bonitatis ac sapientiæ suæ thesauris reliquum facit, quod illi & ornando & expoliendo non impendat quàm liberalissimè. Vereor equidem, Excellentissime Domine Præses, Domine & Patrone maxime, ut ferre satis queat tua illa singularis & ubiq; celebrata modestia, si Te dixero id felicitatis esse consecutum, qui commodo innumerorum mortalium, qui Præsidio atq; ornamento Principis & Patriæ, à supremo & Cimbricæ nostræ faventissimo Numine in has terras sis donatus. Non dabis tamen, quæ Tua non minus explorata est æquitas, vel adulationi mihi, vel vitio ulli, si illud palàm dixero, quod res ipsa ab sese loquitur, quod tui pro Principe, pro Patria, pro gente nostrâ exhausti labores, toleratæ molestiæ, sustenta & superata odia & pericula, impensa præclarissima studia & merita publicè, nec perituris in annalibus, sed tabulis gratæ præsentium memoriz, ad posterorum posteros transmittendæ inscripta, quaqua verum per orbem proclamant. Nihil culpæ habebit, si privati unius eadem, quæ publica bonorum omnium, vox sit. Quin itaque licebit, spero, mihi, laxatis nonnihil amoris & reverentiæ erga Te, Excellentissime Domine, frenis, in campum meritissimarum tuarum laudum excurrere, & exemplum in Te proponere, quod admirentur, qui magnanimis, & non nisi ad pulchra faciendâ ac suscipiendâ natis mentibus suum, hoc est, justum pretium ponere norunt.

Si ergo per Te, tuasq; eximias dotes, dotibusq; nihilo inferiora præclara facinora, Excellentissime Domine, juvabit ire, & recen-

serpensius, ex quibus contextus quasi fueris, quanta & quàm multa
gloriosa per te DEUS præstiterit, quod artificium maximi opificis DEI,
quas, ut sic dicam, solertissimas juxta ac benignissimas ejus manus
ubiq; aspiciemus! Non hic de dignitate corporis, de concinnitate
membrorum, & justo habitu, de specie & amabili flore oris quic-
quam dicam. Majora in animo tuo effulgent ac moribus, quæ
orationem detinent, & quomodo parata, atq; è suis initiis in illud quod
jam cernimus robur coaluerint, præ cæteris notari merentur. Refert
equidem nobilitatem venæ gemma, quâ eruta est, nî tamen sedula
artificis operâ expoliatur eadem, decoris ipsius maxima pars in ob-
scuro manebit. Parentum bonitatem refert similiter natorum in-
doles, sed ut proluciat præclara illa vis insita, ut roboretur, ut, si
quid noxium deinceps illi adhærere contingat, maturè illud resece-
tur, atq; *ita generosa in ortus germina exsurgant suos*, hoc disciplina
maximè atq; institutio confert. Ac nescio, an non ipsa nascendi feli-
citate majus bonum sit, culturam nancisci solertem, & castigatam
educationem, ita magnam ad absolvendam animi perfectionem
vim magisteria habent. Quæ sanè Tibi contigerunt exoptatissima.
Maturimè videlicet viris bonis & doctis es traditus, qui teneram æta-
tem literis pariter, & pietatis ac virtutum initiis domi atq; in con-
spectu Parentum imbuerent. Mox cum adolevisses nonnihil, tradi-
tus es disciplinæ celeberrimi illius Johannis Kirchmanni, cujus
sapienti ductu & auspiciis mores tui & studia proveherentur in majus:
Hic, cum naturam ad eloquentiam & splendorem in dicendo incita-
tam in Te animadvertisset, quicquid egregium in literis, & emolu-
mentum insigne aliquod ad facultatem orandi collaturum notabat,
Tibi instillavit, impressit, insculpsit. Unde postea illa prompta ac
circumfluens verborum ac eloquentiæ Tibi nata copia, quâ orato-
res quosq;, facundissimos etiam, in certamen vocare possis. Jamq;
ad regias Scholas, quas Academias vocant, respiciebat animus tuus:
Quas, admodum licet juvenis, ingressus, DEUM immortalem!
quantum Tibi campum sortitus es visus, in quo in omne literarum
artiumq; genus laudabili impetu excurreres: Neq; tamen ad futiles
subtilitates, & vanas scholarum ac umbratiles rixas, sicut Polypus
ad saxum, hæsisisti. Divinâ ingenij tui perspicaciâ ipse facilè ani-
madvertisti, non Scholæ tantum, sed vitæ, sed reipublicæ esse discen-
dum. Unde missa fecisti superflua, & valere rectissimè jusisti steri-
les illas artes, quæ platanos ac cupressus arbores imitata, oblectatiun-
culam tantum præbent, sed fructum aut nullum, aut exiguum affe-
runt. In hoc autem circumspectè elaborasti, ut solidam aliquam,
masculam, & publico utilem ac necessariam eruditionem animo
induceres, quâ Principes, qua Respublicas & populos integros posses
facere

facere & servare beatos. Tantâ verò alacritate animi, tantâ nervorum contentione in illam sapientiæ incubuisti partem, tantâ assiduitate ejus interpretes & quasi Oracula es sectatus, tantâ assiduitate eorum frequentasti, an celebrasti? Scholas atq; palæstras, ut omnes tuæ ætatis viros-juvenes celerrimo cursu anteverteris, & ad summum quo respectabas culmen apicemq;, cum vix lanugo malas in-umbrare cepisset, non sine admiratione aliorum sis enisus.

Defunctus ita hoc præclarissimo agone, cum jam rectè de rebus judicare & fugienda petendis solerti judicio discernere valeres, peregrinandi Te ardor & impetus incessit, ut solent excelsiores animi cœlum ipsum imitari ac gaudere motu, & quomodo tam prisco quàm nostro ævo peregrinati sunt viri magni. Prudentiæ enim civilis mater & nutricula est peregrinatio, quod etiam Homerus, ille non Poëtarum solùm, sed & sapientum eximius, indicavit, quando cautæ illi Herois Ulyssis prudentiæ causam assignaturus, *multorum*, inquit, *mores hominum cognovit & urbes.* Et verè profectò. Instituta enim illa variarum gentium, ritus moresq; hominum, formæ civitatum, incredibile est ad judicium & prudentiam quàm potenter profint. Itaq; & Batavia, illud cultioris orbis admirabile compendium, & illa terrarum tum ubertate soli atq; opulentia, tum genio dotibusq; incolarum, & morum singulari concinnitate longè felicissima Gallia Tibi visæ ac peragrata. E quibus non, quod histriones quidam solent, mimicos gestus & figuram vestibus insolentem, sed doctrinam, & civilis prudentiæ apparatus locupletissimum, in interioribus memoriæ arculis repositum, tecum exportasti. Ita in Patriam exoptatissimam non alius quidem à Te ipso, sed melior tamen doctiorq; multò reversus, latere obscurus diu non potuisti. Erumpebat undiquaq; multiplicis tuæ virtutis jubar, & instar ignis celari ægre patiebatur. Neq; enim doctorum tantùm & Nobilium, sed Principum planè virorum oculos animosq; in Te convertebas, quibus rectitudo judicij tui, consilij copia, juris omnis legumq; pariter peritia ac a morum ingens, morum deniq; cum suavitate permixta gravitas, publicâ famâ celebrata, insigniter Te commendabant. Erat, dum fata Deusq; sinebant, post summos fortunæ titulos, perspicaciæ singularis laude celeberrimus, Serenissimus ac Celsissimus Holsatiæ nostræ Dux illo tempore regimen tenens, FRIDERICUS gloriosæ memoriæ, quem Principem verè pium, magnanimum, sapientem, DEO ac Patriæ dilectum, omnis annalium venerabitur memoria. Hic ipse atavorum regum sanguis, prudentissimo judicio Te in aulam, & inter consiliarios suos, cum trigessimum annum nondum attigisses cooptari voluit. Quas partes sicut non prensaveras ambitiosè, ita virtutis Tibi tuæ conscius, nec detrectasti

B

trectasti

tractasti honorificè delatas, quod & impietatis in Principem & Patriam fuisset. Vix aulam & Senatum intraveras, cum intervenirent temporum difficultates maximæ, quæ domesticis consiliis se explicari non paterentur, sed foris per legationum ministeria tractari atq; finiri expeterent. Tua itaq; & facundia, & circumspecta agendi dexteritas digna præ aliis Maximo Principi est visa, quæ Ratisbonam ad comitia imperij missa, in illo theatro se spectandam, an admirandam? exhiberet. Quis nescit quanta Legati dignitas, quanta & quàm sancta sit illius autoritas? Quis servare ne quid honori Domini sui decedat, & ordinare peritè atq; peragere caussam, ut scopum obtineat ad quem collimat, intereà colligere aliorum, cum quibus ipsi conversandum, favorem, expiscari eorum studia, penetrare intimiores sensus, tacere in tempore, nec minus loqui confidenter, ubi res postulat, quantam ingenij vim, judicij copiam, peritiæ apparatus versatilem, morum concinnitatem requirat, equidem verbis vix satis expediri potest, & singularem ac divinum hominem eum oportet esse, in quem unum ista omnia confluerint. Tu tamen Excellentissime Domine omnes has Legati partes, singula hæc munia ipso primo statim conatu tanta felicitate sustinuisti, tanto successu implevisti, ut negotio principali ad votum, imò supra potius omnium vota confecto, Serenissimo tuo illi nostroq; gloriosæ memoriæ DOMINO excelsius augustiusq; tituli decus ab invictissimo, & Principis hujus nostri ex meritis, & singulari erga suam Cæsaream Majestatem præstitâ fide amantissimo Imperatore FERDINANDO III. domum reportaveris; reportaveris Principi facultatem Scholæ alicujus regiæ, sive Academiæ ut loquimur, in Provinciis suis hæreditariis, cum amplissimis privilegiis constituendæ, cujus & fundamenta jam molienti, felicissimos à supremo Numine successus apprecantur boni omnes. Quomodo porro committeret invictissimus Imperator, ut ministrum ac legatum Principis sibi dilectissimi, Hero illo suo excellentissimo planè dignissimum, qui solertiæ fecundissimum ingenium suæ Majestati tantoperè approbaverat, à sese dimitteret inornatum? Supremus videlicet per orbem Christianum virtutis eruditionisq; omnis brabeuta. Itaq; & inter sacri Palatij Cæsarei Comites clarissimum nomen tuum retulit ter maximus ille FERDINANDUS, & Te, nec Te tantum, sed omnes ex Te

Natorum natos, & qui nascentur ab illis
in dignitatem & fastigium Nobilium, privilegiis, juribus, immunitatibus atq; insigniis gentilitiis clementissimè accumulatis extulit, evexit, exornavit. Nefas enim profecto foret, carere præmio ad ipsos quoq; posteros porrecto, illustrem aliquam & excellentem virtutem. Quale præmium meritis propriis acquirere primum, gloriosius longè
&

& majus est, quàm nascendo ab aliis per longam seriem id traxisse, cum illud virtutis sit, hoc fortunæ, quæ etiam in ignavissimum quemq; sua dona non dedignatur conferre. Et, si nemo primus familiæ suæ talia ornamenta peperisset aut literis aut armis (hæc enim sola sunt geminæ illæ alæ, quibus aquilini vigoris animi elevantur in altum) non haberent, quo sese impotenter læpè nimis efferrent dissimilimi, & ineptissimè invidi progenitorum nonnulli abnepotes. Mactum verò Te, Excellentissime Domine, tanto tuo & familiæ tuæ splendidissimo ornamento! Virtutis tuæ est, quod illud acquisivisti: Pietati tuæ id dabit Optimus Maximus DEUS, ut in sera illud secula sese extendat, nec quisquam posterorum tuorum degeneret illius laudibus, de cujus sanguine originem traxit, de cujus primo splendore irradiatus fuerit & ipse, quin potius semper sint, qui tollere in majus vetustum decus, & novum atq; illustrius illi lumen accendere & possint & velint.

Sed ad Te virtutesq; tuas multiplices, Excellentissime Domine, revocanda est oratio mea. Probatus multorum annorum fide, & tot insignibus prudentiæ ac inexhaustæ industriæ documentis domi forisq; editis variè spectatus, à Maximo Principe Consiliarius intimus, & summus justitiæ & Cancellorum Præses ac moderator constitutus. Erat tum status Reipublicæ nostræ, instar alicujus in medio mari fluctuantis navis, in quam hinc ventorum adversi turbines, unà *Eurusq; Notusq; ruunt*, hinc *cumulo insequitur præruptus aquæ mons* & cui timendum est singulis momentis, ne illam *rapidus voret equore vortex*. Tam ancipiti rerum statu clavum Reipublicæ torquendum ad sese delatum, non abnuere, hoc demum boni Viri, hoc Principis & Patriæ non fucatè amantis erat civis: Quos hîc sustinueris labores dies noctesq;, quot exantlaveris pericula ac certamina, modò ut crudelissimus miles placaretur, modò ut oppressi & fortunis omnibus exuti subditi non prorsus desperatione perirent, modò ut inter hæc omnia Principis autoritas facta tecta retineretur, modò ut efficacia remedia invenirentur, quibus è tantis malorum fluctibus oppressa patria aliquando eriperetur, hoc non capit brevis, qualem ego nunc institui, dissertationis ambitus; proluxioris id omninò fuerit operæ, & cogitatione æstimari rectiùs, quàm linguâ & calamo exprimi potest. Secutis post illa tranquillioribus temporibus, sarcindis Patriæ ruinis omnes cogitationes, nisus, curas ac vigilias impendisti, revocasti extorres, solatus es inopes, prospexisti oppressis, aperuisti vias commerciis, restaurasti opificia & agriculturam, recensuisti leges, ordinasti sacra, composuisti Scholas, verbo ut dicam, Patriam bellorum divexatione enectam, consiliis & laboribus tuis à morte asseruisti in vitam, è tenebris & squalore restituisisti in lucem & nitorem.

Inter

Inter has porrò egregias, & publico Patriæ bono unice dicatas curas, taceri nefas foret illas insigniores, quibus Serenissimæ domus Cimbrico-Gottorpiacæ florentissimas quatuor ex ordine propagines, tuis iterum solertissimis auspiciatissimisq; consiliis, magnorum Germaniæ Principum, ANHALDINI, HASSIACI, MECKLENBURGICI, quid? Regis etiam Septentrionalis invictissimi illius, qui unus tot simul Reges populosq; bello invictos subegit, conjugis exoptatissimis illigasti, hoc ipso Serenissimâ illâ, cui serviebas domo, fortissimis simul vinculis ab omni parte, novâ quadam ratione ita firmatâ, ut inconcussa contra æmulum insultus, DEO cum primis subdente manum, persistere deinceps possit. Fungum esse oporteat, & pepo- nem gerere pro corde, qui hinc singularis tuæ prudentiæ, sed & fide- litatis in Principem tuum ejusq; Serenissimam Domum prorsus exi- miæ, documentum non capiat longè extantissimum. Animus hor- ret meminisse nuperrimæ illius tristissimæ cladis bellicæ, quæ univer- sam hanc nostram Cimbriam ita afflixit, elisit, prostravit, ut nihil ad suprema ejus fata superesse, prudentes quoq; existimarent plurimi. Non sustinerem sermonem deflectere ad illud acerbissimum altissi- mumq; Reipublicæ nostræ vulnus, nisi Tu, Excellentissime Domi- ne, necessitatem mihi imponeres. Ecquis enim eorum est, *quicumq; terra Cimbriæ munere vescuntur*, qui non expertus sit, non ipse ocu- lis usurpaverit, manibusq; quasi palpando contrectaverit, quanta fuerit Tui unius hic opera, quanta contentio, quàm felix præter om- nem expectationem in hâc malorû confluge profligandâ expeditio. Quod Princeps & Serenissima familia Principalis ab injuria servati, quod Respublica â panolethriâ erepta, quod limites provinciæ nō im- minuti, sed aucti etiam, quod spes futuri melioris status in animis afflictissimorum subditorum retenta, quod pax honestissimis condi- tionibus recuperata, cui alij post DEUM & Principem quàm Tibi, Excellentissime Domine, debemus? præsertim cum sapientissimus ipse Princeps inter *hos* animorum motus, atq; *hac certamina tanta* lachrymandâ subditis morte ereptus, Tibi uni, arcanorum ejus om- nium & conscio, & administro summo, quicquid hîc supererat one- ris in humeros conjectum reliquisset, Nemo æquus rerum arbiter, nemo bonus, sat scio, hîc poterit dicere, me auribus tuis servire & blandiendo palpum obtrudere. Res enim ipsa hoc omne quod ego brevissimè tantum perstringo, publicâ & elatâ voce eloquitur, & si nos, sive invidi, sive ingrati præclarissima hæc tua merita tacituri (quod longissimè absit! *Non ingrata adeò gestamus pectora Cimbri*) eramus, vel lapides illa in opprobrium nostrum, proclamaturi erant. Sed benè habet, generosiore animo sunt Holsati nostri, quam ut tan- torum beneficiorum eos unquam captura sit oblivio. Testem locu- pletis-

pletissimum do totum inclytū Equestrem ordinem Holsatiæ nostræ, tot antiquo genere, opibus, arte etiam plerumq; & Martē spectatissimos Heroas. Hic Germanicorum de ordine Equestri virorum flos illibatus, & Patriæ suæ perpetua gloria, suapte sponte ac summâ voluntate, maximo liberrimoq; consensu Tibi, Excellentissime Domine, omnibusq; ex Te prognatis & nascendis, nullo Tuo ambitu, nullâ præcedente præfatione, societatem sui ordinis, conventus, sessionem & suffragia in illis, immunitates, præminentias, dignitates præcipuorum Magistratuum, in aulâ & provinciâ gerendorum, suo ordini antiqua consuetudine præ aliis Civibus debitas, sua jura, privilegia ac beneficia, amplissimâ formulâ obtulit, decrevit, impertivit. Quæ sanè generosissimorum tot tantorumq; & avito generis, opum, ac rerum domi forisq; fortiter gestarum splendore per universum Europæum orbem spectatissimorum Heroum gratitudo, dignissima prorsus esset, ut ab aliquo seculi nostri Tullio condignis verborum encomiis ad posteritatem deprædicaretur.

Pene oblitus eram inter hostuarum laudum & meritorum titulos, qui suâ me multitudine & gravitate tantum non opprimunt dicentem, PIETATIS tuæ in DEUM & proximum, Principis virtutum & felicitatum omnium, quæ in hominem cadere possunt, mentionem facere, de qua diu ante dictum oportuit. Verum solent Principes non præcedere amicos, sed sequi: Quare, si in ultimum locum de pietate tuâ dicere reservavero, nihil id imminuerit eam; in majus potius attollet. Utinam autem hic eam dicendi copiam afferre possem, quam tanta res & meretur, & postulat! Quotusquisq; eorum est, quos nostro hoc seculo fortuna in sublime evexit, qui non existimet, impunè licere ex aliorum miseriis metere auream messem, & perinde esse, benè an malè sit inferioribus & de plebe hominibus, modò sibi omnia fluant ad nutum, nec desit quicquam instrumentorum, exquisitæ omnis generis voluptati corporis inservientium. Quam Tu verò, Excellentissime Domine, tali hominum generi sis dispar & aliter longè animatus, id non magnificis verbis, sed insignioribus factis luculentissimè testatum facis. Non recensebo prolixè, quantum contenderis semper, ut ruri & in oppidis, tenuioris fortunæ aut conditionis subditis ratio parandi victum ne deficeret, probissimè gnarus, falices nisi habeant unde trahant succum, nec ramos nostris usibus sufficere posse. Nec commemorabo, quantum laboraveris, ut seminariis Christianæ pietatis, Scholis sua constaret dignitas, ut juvenus in timore DEI maturè educaretur, ut Ecclesiis præessent pii Pastores, qui verbo simul & innocentis vitæ exemplo rudioribus Christianis ad solidam pietatem præirent. Ipse Tu & domesticis institu-

C

tis


tis pietatem in aliorum animis accendis, & præclaris actionibus in luce publicâ eam commonstras. Quis est qui nesciat, Excellentissime Domine, Te ferventissimo animi Zelo, Prochodochium Kielmannianum sumptibus non modicis instruxisse, officium Christianæ liberalitatis, & pauperum atq; egentium exoptatissimum receptum ac quasi portum? imitami, quotquot à DEO bona hujus vitæ largiùs aliis consecuti estis, & vel hoc pacto bonos fidosq; talium vos administratores esse Deo hominibusq; probate. Specta verò etiam Excellentissime Domine, quàm benignè divina clementia pietatem tuam cœperit compensare! quam largam in liberis tuis Te in vivis florente & superstite, retributionem jam exorsa, in seris etiam abnepotibus continuandam Tibi spondeat! Sanè inter hujus vitæ bona, morigeros, benè natos & educatos, & fortunâ prosperiore utentes liberos, aut summum aut à summo proximum esse, Sapientes uno ore omnes fatentur. Hic verò quid commemorem illud ternum filiorum tuorum fulgidissimum sidus JOHANNEM HENRICUM inquam, FRIDERICUM CHRISTIANUM & JOHANNEM ADOLPHUM? in quorum ornamenta ac promeritas laudes digredi, nec præsentis meæ copix est, & vetat quoq; ipsorum notissima modestia, tum nostra inter nos sanctè semper culta amicitia, quæ suspicionem apud invidos excitare poterat, me affectui servire, eiq; plus quàm par esset ac deberem, indulgere. Loquuntur autem me tacente ipsorum multiplices virtutes & amorem bonorum omnium in ipsos palàm rapiunt ac convertunt. Quanta porrò pars votis jam tuis accessit, quando priorem natu D. JOHANNEM HENRICUM, in Consiliarij Principalis Camerae, suppari Tibi penè dignitatum fastigio jam sedere cernis? quando eum auspiciatissimo ex antiquissimâ nobilitate dulcissimæ WISCHIE conjugio illigatum, & jam ex eâ susceptum dulcissimum nepotulum, ad avitum tuum blandissimum intuitum jam suave reidentem, intueris? Quando proximum natu D. FRIDERICUM CHRISTIANUM & ipsum splendidissimo aulae Vice-Magistri Celsissimi de regiâ domo nostra Principis AUGUSTI FRIDERICI, munere ornatum vides, & mox è primariâ nobilitate elegantissimæ illi ALFELDIÆ, felici (DEUS donet!) connubio sociandum exspectas? Quando natu postremum, D. JOHANNEM ADOLPHUM sed vividâ indole, & animi eximio vigore neutiquam postremum, Serenissimi Ducis Regentis & Domini nostri clementissimi, Domini CHRISTIANI ALBERTI, in Camera nobilem ministrum, lateri maximi Principis perpetuò hærentem, & ad majus honorum culmen per Dominorum Fratrum vestigia incedentem oculis usurpas. Felicissimum dico Te, ter & amplius, Parentem, cujus non tam sanguinem, quàm absolutam virtutum imaginem

ginem ferunt ex optatissimi nati! Et quid de filiabus Tuis dicam, sexus sui & seculi ornamentis? quæ & ipsæ nobilissimas familias, generoso sanguine, in novas inclytasq; stirpes succrescente, illustrant? Inter has prima, MARIA ELISABETHA (quæ lux & gloria fœminarum!) generoso Dno JOHANNI SAMUELI HEISTERMANNO à ZIELBERG collocata. HEISTERMANNUM autem cum dico, luculentum aliquod exemplum in omni cultu civili ac habitu perfecti viri dico. Ita enim in eum, & morum concinna Suavitas, & rerum gerendarum cum variâ eruditione peritia, atq; eximius planè animi candor confluerunt, ut quâ parte horum magis mereatur æstimari, difficile oppidò sit decernere. Ego certè ab ipsis planè Gratiis elaboratum esse virum judico. MARIE ELISABETHÆ natu proxima ANNA MARGARETA, è celebratissimâ BROCKTORFIORUM familiâ MARQUARDO WOLFGANGO, heroi strenuo nupta. Par omninò felicitas est SOPHIÆ AUGUSTÆ, natu in hâc pulcherrimâ triade minimæ, quæ WOLFGANGO BUCHWALDIO, nobilissimæ stirpis generosissimæ propagini sociata, extendere in seculum generosam profapiam, & novas ac eminentiores in eam virtutes transfundere promittit. Sunt hæc profectò bona omnia tanta, ut ad eorum nudam commemorationem oratio mihi vix suppetat, defectura penitus atq; succubitura, si pro dignitate singula exornare in me suscipiendum esset. Retribuit DEUS pietati Tuæ, Excellentissime Domine, quando inter medios fragores bellicos, inter alternantis fortunæ mirabiles & periculosissimas vices, inter invidorum, hostium & æmulorum insidias, odia, crudelissimasq; minas, Te animo ac virtute infractum, integrâ gloriâ, florente famâ, constante Principis, procerum ac populi favore, dignitatibus salvis & insuper auctis, gubernavit, servavit, munivit, atq; ita evexit, ut vix amplius aliquid aut majus divina illa faventia potuisset adstruere. Tu intereà, Excellentissime Domine, inter tot ac tanta Tibi propria decora atq; incrementa, nihil abis à pristinâ tuâ humanitate, & verecundiâ ac prorsus inusitatâ modestiâ. Quæ maximus Princeps, quæ Patria, quæ Cives universi Atlantæis tuis pro communi egregio exhaustis laboribus, parata est rependere, & promptissimâ manu Tibi tuisq; offert præmia, hæc Tu non nisi trepidè atq; cunctanter, hæsitans ac multum luctatus Tecum, ut modestissimi solent, admittis. Quæ res profectò animos omnium in ejusmodi admirationem rapit, ut agnoscere palam cogantur, inter omnes divini animi tui dotes, omnia decora, hoc demum esse maximum, quod publico natus factusq; bono esse, quam *deprædicari* malis. Sunt omnia, quæ hæctenus de Te
mihi

mihī dicta sunt, longè maxima, Excellentissime Domine, & restarent multò plurima adhuc dicenda, sed aliam illa occasionem exposcunt, & adedò nuncquidem sufflaminanda est hæc tenuis mea compellatio ad metam. Quæ potius necessum habet veniam deprecari audaciæ suæ, quod in meritorum tuorum immortalium amplissimas laudes tantum strictim excurrere sustinuit. Magnitudo argumenti excusabit, spero, facilè, meam in dicendo inopiam, qui veneratio- nis, & reverentiæ, & amoris Virtutum tuarum indicium hoc unice dare volui, etsi eloquentiæ laude apud alios mihi carendum esse satis præscirem. Reliquum est precari DEUM immortalem, ut Te Excellentissime Domine, fulcrum Patriæ & salutis publicæ autorem, bono plurimorum mortalium, & meo quoq; si mereor; ut domum tuam inclytam perpetuò tueatur ac servet, hunc quem ingre- dimur novum annum inchoare Te feliciter, nec ipsum tantum, sed alios deinceps ex ordine plurimos, transigere faciat quam felicissimè.

F I N I S.







ferunt ex optatissimi nati! Et quid de filiabus Tuis dicam,
tui & seculi ornamentis? quæ & ipsæ nobilissimas familias, ge-
næ sanguine, in novas inclytasq; stirpes succrescente, illustrant? In-
prima, MARIA ELISABETHA (quæ lux & gloria fœmina-
generoso Dno JOHANNI SAMUELI HEISTERMANNO
LBERG collocata. HEISTERMANNUM autem cum dico,
ntum aliquod exemplum in omni cultu civili ac habitu perfecti
co. Ita enim in eum, & morum concinna Suavitas, & rerum
darum cum variâ eruditione peritia, atq; eximius planè animi
or confluerunt, ut quâ parte horum magis mereatur æstimari,
le oppidò sit decernere. Ego certè ab ipsis planè Gratiis elabora-
sse virum judico. MARIE ELISABETHÆ natu proxima
A MARGARETA, è celebratissimâ BROCKTORFIORUM
A MARQUARDO WOLFGANGO, heroi strenuo nupta.
citas est SOPHIÆ AUGUSTÆ, natu in hâc pul-
minimæ, quæ WOLFGANGO BUCHWALDIO,
pis generosissimæ propagini sociata, extendere in se-
m profapiam, & novas ac eminentiores in eam virtu-
promittit. Sunt hæc profectò bona omnia tanta, ut
n commemorationem oratio mihi vix suppetat, de-
atq; succubitura, si pro dignitate singula exornare in-
n esset. Retribuit DEUS pietati Tuæ, Excellen-
, quando inter medios fragores bellicos, inter alter-
mirabiles & periculosissimas vices, inter invidorum,
lorum insidias, odia, crudelissimasq; minas, Te ani-
fractum, integrâ gloriâ, florente famâ, constante
erum ac populi favore, dignitatibus salvis & insuper
vit, servavit, munivit, atq; ita evexit, ut vix amplius
is divina illa faventia potuisset adstruere. Tu intereâ,
Domine, inter tot ac tanta Tibi propria decora atq;
hil abis à pristinâ tuâ humanitate, & verecundiâ ac
â modestiâ. Quæ maximus Princeps, quæ Patria, quæ
Atlantæis tuis pro communi egregio exhaustis labori-
pendere, & promptissimâ manu Tibi tuisq; offert
i non nisi trepidè atq; cunctanter, hæsitans ac multum
i, ut modestissimi solent, admittis. Quæ res profectò
m in ejusmodi admirationem rapit, ut agnoscere pa-
inter omnes divini animi tui dotes, omnia decora,
se maximum, quod publico natus factusq; bono
edicari malis. Sunt omnia, quæ hæctenus de Te
mihi

